



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XVII. Soluitur argumentum ex ipsa Incarnatione ductum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

Debuit ergo ascendere in cœlum, ut omnia loca præsentia sua illustraret & repleret.

Immò hic idem locus manifestè docet, Christum non repleuisse omnia præsentia carnis suæ; nam descendere, & postea ascendere repugnat repletioni: debuisset potius diffundere se, quām descendere & ascendere, si omnia simul replere volebat; immò nec fuit opus descēdere, vel ascendere, vel etiam diffundere se, si vbique semper fuit.

Nec Oecumenius & Theophylactus contrarium docent. Nam OECVMENIVS solùm ait; Christi carnē repleuisse omnia. Quod intelligitur eo modo quo poterat, id est, non simul, sed successiuè obeundo omnia loca. Et THEOPHYLACTVS non dixit Christi descensum non impediisse, quo minus simul ascenderet, sed non impediisse, quo minus ascenderet, nimirum postea. Hortatur enim Theophylactus ad humilitatem, & ostendit, quod quō magis hīc sese aliquis deiicer, eō magis exaltabitur, sicut in Christo factum est. Itaq; perpetram hi duo auctores allegantur ab auctoribus Concordiæ.

C A P V T XVII.

Soluitur argumentum ex ipsa incarnatione ductum.

 C TAVVM argumentum. Per incarnationem id factū est, ut esset vna persona Deus & homo; persona autem est individua substantia; ergo non potest vna pars personæ ab altera vlo modo diuelli, ergo vbiq; est vna, ibi est altera. Confirmatur P R I. M o, ex Concilio Chalcedoneus act. 5. & Concilio VI. act. 17. & LEONE epist. 83. ad Monachos Palæstinæ, vbi habemus incarnationem factam esse ex duabus naturis individuis inseparabiliter, & inconfusè; ergo vbi vna est, etiam est altera. alio qui quomodo sunt individuae & unitæ inseparabiliter, si vna est in cœlo, & altera est in terra? & confirmatur ITERVM ex DAMASCENO, lib. 3. cap. 3. qui non solùm dicit naturas in Christo unitas esse inseparabiliter, sed etiam adiutorias, id est, indistanter, ergo vna nūquam distat ab altera. At quomodo non distant, si vna non est, vbi est altera? Confirmatur

tur VLTIMO, si caro Christi non est ubique cum Verbo, & quitur Verbum alicubi esse hominem, alicubi non esse hominem, quod sanè absurdissimum est.

RESPONDEO, cùm dicitur in definitione persona, iudicidua substantia, non significatur talis individuo, ut vbi est una pars personæ, ibi sit altera, id enim patet esse falsum. Nam nostræ manus & pedes, & cetera membra occupant diversa loca, & tamen unam personam faciunt. dicitur igitur persona, individua substantia, quia est unum subsistens non dividendum in se in ratione subsistentiæ, & dividendum ab omnibus aliis. & talis est Christus Deus & homo.

Ad PRIMAM & SECUNDAM confirmationem dico, unionem inseparabilem, & indistinctam non requiri, ut unus sit vbiunque, est aliud, sed tantum ut alicubi similiat; nam si nusquam simul essent, tunc vere inter se distarent, exemplo existat globus Solis. is unitus est inseparabiliter, & indistincter suo orbi, & tamen orbis solis totum orbem inferiorem ambit, & est simul in Occidente & Oriente, quod Solis globo non conuenit.

INSTANT, Sol non est unitus suo orbi secundum totum, sed secundum partem tantum, at humanitas est unita tibi Verbo. RESPONDEO, humanitas est quidem unita tibi Verbo, quia Verbum est indivisible, tamen non propterea ad qualiter immensitatem. Itaque sicut stella, quia minor est molis quantitate, quam sit suus orbis, non potest simul esse vbiunque est ipsius orbis: ita humanitas Christi, quia est minor Verbo, quantitate virtutis, non potest esse vbiunque est Verbum, licet ab eo non separetur, nec distet.

Ad VLTIMAM confirmationem dico, illam propositionem, Verbum alicubi non est homo, esse falso, si significatur Verbum alicubi deseruisse humanitatem. Licet enim alicubi sit Verbum ubi non est humanitas, tamen etiam ibi Verbum est homo, quia Verbum ibi existens sustentat humanitatem, ut suam & propriam, licet alibi existentem. Quendam anima rationalis in pede existens unita est cum capite, & informat caput, licet caput ibi non sit ubi sunt pedes.

CAPV